

FRANCISCI PATRICII  
PANCOSMIAS  
LIBER VIGESIMUS PRIMUS  
*AN STELLÆ ALIQUID AGANT.*

Si stellæ animalia sunt, ut Zoroaster, et post eum Plato docuere, recta ratione Aristoteles, eas et animatas fecit, et vitam eis, et actionem etiam tribuit, uti ante commemoravimus. At qualem nam haberent actionem non declaravit. Nisi forte suorum quis dixerit, eam tunc ipsum declarasse, quando dixit cælum, motu et lumine in hæc agere inferiora. Nam motus actio est quædam: et sine motu, actio fit nulla. Sed cum postea stellas orbibus infixit, dicimus nos, immobiles rursus ipsas per se reddidit, et omnes omnibus ademit actiones. Easque cælo tribuit, cui et motum dedit. Sed cælum rursus, lumen non emittit, stellæ quæ lucidæ sunt, lumen emicant. Itaque cum aiat, cælum motu, et lumine in nostratia agere, utrumque compræhendit. Et cælum agere motu: et stellas agere lumine. Verum motu hoc, et lumine quid agunt? Declarare id videtur voluisse, quando VIII *Physico* scripsit.

“Motum veluti vitam esse omnibus natura constantibus. Sed verius hic locus, non de cœlesti, sed de motu in genere est ei scriptus. Primo meteoro clarius. Necessario, mundum hunc continuum superis esse lationibus, ita ut omnis eius potentia gubernetur inde”.

Sed iam est a nobis demonstratum, neque cælum moveri, neque Astrorum motum huc pertingere. Motus quidem, in circuitum defert astra, vel potius ipsa spiritu et animo suis vecta, et circumlata, eum motum cient. Is tamen motus, mundum hunc inferiorem non attingit. Si non attingit, neque in eum agit. Omnis enim actio fit per contactum. Falsum ergo multis partibus est hoc dogma. Cælum motu in hæc agere. Quid ergo e duobus, motu uno secluso, solo agit lumine? Lumen enim huc pettingit. Atque ideo dixit alibi. Sol et homo generant hominem. Sed modum quo id vel lumen faciat vel Sol, nequaquam docuit. Nam etsi, loco alio dicat.

“In omnium semine inesse calorem qui ea faciat fœcunda. Atque hunc non esse ignem, neque igneam vim ullam, sed spiritum qui continetur in semine spumoso, et in eo spiritu natura insit, quæ sit analogia stellarum elemento”.

Clarum tamen nihil docet. Et si clare doceret, de iis doceret tantum, quæ spumosum habent semen, animalibus scilicet, et his non omnibus. Nam multa sine semine generantur. Zoophytis, plantis, lapidibus metallis, hic locus non accommodatur. Sed et quæ analogia inter naturam illam, et stellarum clementum sit, explicare debuit. Et quando satis tam pauculis videatur explicata, lumen certe non est. Non enim lucis et ignis essentia aut elementum est ipsum lumen, sed proles. Et quando lumen stellarum sit elementum, et elementum Solis, quo modo cælum, et Sol in hæc nostratia, agunt lumine? Res pulcherrima, res in tota philosophia excellentissima dignissimaque quæ sciretur, nutu brevissimo, eoque confuso, et obscurissimo, non debuit a tam magno philosophatore tractari. Et si ei detur, his tam spinosis, plene hanc tractationem esse executum, non tamen nisi animalium ex semine generationem exposuit, Adres vero alias innumeras, ea expositio minime facit. Hunc ergo tam exilem ac ieunum dimittamus. Astrologos genethliacos advocemus, qui nobis de Astris eorumque actionibus plurima pollicentur, et adimplent pollicita. Qui usque a vetustissimis Belo Assyrio, et Zoroastre Chaldæo orti, per omnia ævi sæcula, a plerisque hominum, in magna sunt habiti admiratione, et divinis fere culti honoribus. Propterea que, multa prædicebant hominibus futura, ex naturis et motibus præcipue planetarum, et inter hos Saturni et Solis. Quos interpretes siderum aliorum nominabant, quoniam illorum influxus significationibus suis interpretabantur, partim per ortus eorum et occasus, partim per varios colores. Interdum ventorum prænunciantes magnitudinem, interdum imbrium, aut æstum excelsus, aliquando etiam cometarum apparitiones, et Solis, Lunæque eclipses, et terræmotus, et summatim omnia, quæ ex circumstanti ære, ac cælo possunt contingere, vel